

Quaestionibus Polybianis, quae ante hos decem annos in programmate Zwicciensi prodierunt, cum alias eiusdem generis disputationes subiungere instituissem, simul id agendum esse existimavi, ut coniecturas Polybianas ab ignoto quodam viro docto factas easque partim minime spernendas in lucem ederem. Quae casu in manus mihi venerunt, cum anno, nisi fallor, 1857 vel proximo Lipsiae emi "Polybii et Appiani historiarum excerpta Vaticana recognita a Joh. Fried. Lucht." Et statim quidem videram scripturas margini huius exempli additas aliasque quae in scidis nonnullis ad calcem libri affixis leguntur auctorem et satis acutum nec dictionis Polybianae ignarum prodere. Tamen cum illis temporibus accuratius inquirere non liceret, iacuit aliquantisper libellus, donec anno 1867, postquam nova Polybii editio inchoata rem amplius differri vetuit, ignoti scriptoris mei notas revolvere et, quisnam esse videretur, variis modis investigare coepi.

Exstant in Emperii opusculis philologicis et historicis, Gottingae a. 1847 editis, cum plurimae coniecturae ad alios scriptores propositae, tum paucae quaedam Polybianae. Iam cum Fleckeisenus, vir et amicissimus et in omni litterarum genere versatissimus, multa me doceret Emperium scripta reliquisse, quae Gottingae in bibliotheca publica servarentur, atque illum plura quam quae edita sunt videri ad Polybium emendandum contulisse, litteras dedi ad Lattmannum, gymnasii Gottingensis conrectorem, additoque scripturae specimine oravi, ut Emperii manu scripta conferre vellet. Fecit id et ipse vir doctissimus et cum Ernesto de Leutsch preces meas communicavit; tum rescripsit, quamvis similis haec anonymi scriptura esset Emperiana, tamen ductibus litterarum ad subtilius examen revocatis consentiente utriusque iudicio dubitari non posse, quin diversa ab Emperio anonymi mei manus esset. Hac igitur spe et exspectatione destitutus paulisper ambigere coepi, an forte vir doctus, qui nominis declaratione omissa Polybium apud Ambrosium Firmin Didot edidit Parisiis anno 1839 atque in his ipsis de quibus agitur eclogis Vaticanis pauca se quoque tentavisse profitetur (vol. I praef. p. II), olim meum Luchtii editionis exemplum possedisset eique notas suas adscripsisset. Sed ut omittam censuram editionis Didotianae agere, in qua errores quidem typhothetarum nonnullos, praeterea autem nihil fere me legere memini, quod non ab aliis antea emendatum sit, anonymum meum ignotum fuisse illi editori facile apparuit. Tum comparandae erant coniecturae ab alio anonymo viro docto sub "floridorum" titulo propositae in Zimmermanni annalium tomo I (a. 1834 p. 980); verum has quoque alienas esse inveni ab eis de quibus quaeritur notis manu scriptis. Denique alia rursus suspitio orta